Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26134
Copyright: Admont, Benediktinerstift

germinabimus et nos sicut lilium, et florebimus in eternum ante dominum.
An non uere uel tunc maxime se lilium conuallium comprobabit, cum reformabit
corpus humilitatis nostre, configuratum corpori claritatis sue. Non ait corpus
nostrum sed corpus humilitatis nostre, ut huius lilii miro et sempiterno candore
solos significet humiles illustrandos. Et hec dicta sint pro eo quod sponsus se
florem campi et lilium esse conuallium protestatus est. Iam etiam quid de sua consequenter
karissima protestatur, bonum esset audire, sed hora non patitur. Ex regula namque uestra, nichil
operi dei preponere licet. Quo quidem nomine laudum sollempnia, que deo in
oratorio cottidie persoluuntur, pater BENEDICTUS ideo uoluit
sic appellare, ut ex hoc clarius aperiret quam nos operi illi uellet esse intentos.
Unde uos moneo dilectissimi, pure semper ac strenue diuinis interesse laudibus.
strenue quidem ut sic reuerenter ita et alacriter domino assistatis. Non pigri
non somnolenti, non oscitantes, non parcentes uocibus, non precidentes uerba di
midia, non integra transilientes, non fractis et remissis uocibus muliebre
quiddam balba de nare sonantes, sed uirili ut dignum est et sonitu et affectu
uoces sancti spiritus depromentes. Pure uero ut nil aliud dum psallitis quam quod psallitis
cogitetis. Nec solas dico uitandas cogitationes uanas et ociosas. uitande
sunt et ille, illa dumtaxat hora et illo loco quas officiales fratres pro communi
necessitate quasi necessario frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem
profecto recipere tunc consuluerim, que forte paulo ante in claustro seden
tes in codicibus legeratis, qualia et nunc me uiua uoce disserente, ex hoc au
ditorio spiritus sancti recentia reportatis. Salubria sunt, sed minime illa sa
lubriter inter psallendum reuoluitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quicquid
aliud quam debes neglecto eo quod debes obtuleris. Cuius semper facere uolun
tatem ad eius uoluntatem ipso inspirante possimus, gratia et misericordia sponsi ec
clesie, ihesu christi domini nostri qui est deus benedictus in secula. AMEN.

SICUT lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Non bone
filie que pungunt. Attende pessimum germen et cui maledic
tum est terre nostre. Cum inquit colueris eam spinas et tribulos
germinabit tibi. Donec ergo in carne est anima inter spinas pro
fecto uersatur, et necesse est patiatur inquietudines temptationum tribulationumque;